

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



D. T. O. M. A. 17

EXERCITATIONEM MEDICAM

DE

COSMETICIS

EX AUCTORITATE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

GRADU DOCTORIS

DIE XXV. SEPT. A. MDCCLXIV.

IN SOLEMNEM DISQUISITIONEM

M E D I C I S

PROPONIT

PHILIPPUS HENRICUS BENDER

DECIA - NASSOICUS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.


ILLUSTRI
LIBERALITATIS
OTTONIANÆ
DOMINORUM
PRÆFECTORUM
COLLEGIO

VIRIS
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO
MAXIME REVERENDO, CONSULTISSIMIS
EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS
DE PUBLICA ET LITERARIA RE
BENE MERITIS

MÆCENATIBUS
SUIS
ATQUE
PATRONIS

DEVOTE COLENDIS
HANC LEVEM PAGELLAM
BENEFICIORUM MEMOR
SACRAM ESSE JUBET

AUCTOR.



EXERCITATIO
DE
COSMETICIS.

§. I.

Ex quo homines a prisca morum simplicitate deflexerunt, nec natura amplius nuda contenti ingenio eam & artibus vel excoluerunt vel vitarunt, ex eo mulieres quoque formæ suæ lenocinia & adscititios colores quævisse videntur. Scilicet innatam quasi esse sequiori sexui videmus placendi cupiditatem, quam, si vel ad antiquissima tempora adscendamus, vel animus ad maxime barbaras & incultas gentes advertamus, nusquam non inveniemus. Fertur jam Semiramis inter comendum ingruentem per urbem tumultum rescivisse, Judæasque feminas antimonio supercilia denigrasse, ex Sacris Literis novimus *a*); neque desunt alia ex profanorum Scriptorum antiquissimis testimonia. Verum diversus in his est variarum gentium usus, diversa ratio, nec eadem quibusvis placent. Britannorum feminas, ut Æthiopum colorem imitarentur, glasto oblinisse corpus, PLINIUS refert *Hist. Nat. L. XXI. C. I.* & CÆSAR *B. G. L. V. C. 14.* & HERODIAN. *L. III. ad fin.* Mauri rubentes Lawsonia ungues gerunt, HASSELQUIST. *Itin. & Abridgment Phil. Transf. II. p. 648.* Groenlandæ ac Zemblicæ feminæ cœru-

A

leo

leo & flavo se pingunt, BUFFON *Cab. du Roi T. III. p. 376.* Arabes varias figuras cœrulei coloris, aciculæ ope non sine dolore brachiis insculpunt, IDEM *ibid.* & LUND. *Antiq. Jud.* Mexicani aliæque Americæ gentes, coloribus cutim variegare consueverunt, & annulos in auriculis & naribus gestare, quorum pondere mirum in modum partes istæ extenduntur. Ultima versus orientem Solem natio Seres, nullum nisi perexiguam pedem pulchrum reputantes, arctissimis illum soleis & vinculorum nexibus stringunt, ne multum crescere possit; quidam puerulis a tenera statim ætate occipitium comprimendo in conii speciem fastigiant. Turcæ ullum in corpore pilum habere præter barbam squalidum putant, at aliæ gentes quo magis iisdem sunt horridi eo se credunt pulchriores. Color etiam capillorum non omnibus idem probatur. Græci veteres, nostrisque temporibus Turcæ, magnos cœruleosque oculos pulchros habuerunt, unde illorum Scriptores, quas eximie formæ pingere vultum puellas, *γλαυκώπας, μεγαλώπας, βοώπας* appellare solent, his vero, si bene vitam instituerint, Alcóranus puellas magnorum & cæsiolorum oculorum promittit. E contra Seres minimos quosque oculos pulcherrimos ducunt. Neque dubitandum est, gentium harum feminas, ut receptæ huic vulgo pulchritudinis ideæ sese accommodarent, nullos non movere lapides. Certe apud Græcos plurima extant medicamenta *καλλισέλαρα*, quæ nihil aliud sunt, quam superciliolorum denigratio, ut orbita eo major appareat. — Tempus erat, quo genas rubore suffusas habere rusticum ducebatur, virginesque hausto aceto & devorata creta ac sedimento infusi Coffeæ, pallorem faciei *b)*, fatali sæpius eventu, conciliabant; nunc jubente ita consuetudine ultra modum malas tingere etiam coguntur, quæcunque e mundo, ut vocant, elegantiori proscribi nolunt. Adeo parum sibi constans est humanum & femininum præcipue ingenium, quod est *varium & mutabile semper*: tantam *stultitiam patiuntur opes.*

a) Conf.

- a) Conf. GRANDIUS de Stibio ejusque usu apud antiquos in re Cosmetica. *Miscell. Nat. Cur. Dec. II. ann. 6. 1687. append. p. 81.*
- b) Conf. PLATNERI Programm. de pallore per adversam valetudinem quaesito. Lips. 1739. & SCHAARSCHMIDT *Medic. und Chirurgische Nachrichten. T. III. p. 211.* PLAZIUS de potus Cesse abusu noxio. p. 48. *jucund. morb. caus.*

§. II.

Tam late cum pateat pulchritudinis remediorum usus, non defuerunt, qui in gratiam feminarum eadem scriptis suis exponerent. Superest nobis ex antiquitate OVIDII NASONIS, quem e frequenti cum puellis consuetudine hæc non latuisse credendum est, de *Medicaminibus faciei fragmentum*. Sparsa dein plurima inveniuntur de his rebus apud PLINIUM & DIOSCORIDEM, quæ autem vel oppido fabulosa sunt, vel vulgo tantum laudata, potissimum autem talia, de quibus ne quidem quid sint hodie nobis constat, & quæ innotescunt forte, quando tamdiu desideratum antiquum exemplar Dioscoridis iconibus illustratum in Vindobonensi Bibliotheca servatum, Ill. L. B. VAN SWIETENII opera prodibit; tametsi nihil interest, hanc veterum fucorum materiem nosse, cum etiam cogniti nobis jam nimii sint, adduxi tamen, ubi e re visum est, quoniam & in Veterum medicinis, quæ nimis nobis negliguntur, quædam utilia esse possunt, & eadem fere omnia repetierit HERMANNUS in *Cyn. M. M.* Post hos duumviros, quorum uter alterum exscripterit adhuc disceptatur, multi in iisdem rebus fuerunt Græci recentiores, Arabes, & Latino-Barbari. Peculiaribus autem Tractatibus illustrant ELEPHANTIS quædam, cujus PLINIUS & GALENUS meminerunt, & CRITON, quem tanquam aulicum Medicum materiam hæc exhaustisse GALENUS refert, quorum vero scripta interierunt. Recentioribus Seculis ARNALDUS VILLANOVANUS, FALLOPIUS, HIERONYMUS MERCURIALIS, alique peculiaribus de Deco-

ratione Tractatibus eandem prosequuti sunt. Neque quisquam miretur, Medicos in his tanquam indignis & mulierculas tantum, balneatores & aliptas respicientibus posuisse operam. Nam & pulchritudo ad perfectissimum corporis humani statum, quem Medicus considerandum sumit, utique pertinet, & teste SENECA *Ep. V. contra naturam est, faciles odisse munditias, squaloremque appetere*, & non levia sanitatis praesidia in munditie esse posita, ars nostra demonstrat: eademque, cum plurima vel inutilia vel noxia atque perniciofa pulchritudinis remedia ab aliis tradita, ab aliis in usum vocata fuerint, quid cuique eorum vel innocuae & salutaris, quid damnosae virtutis insit, docet monetque. Itaque iis qui moralia praecipua tradunt atque Theologis relicta quaestione, an hominis dignitatem deceat, aut Christiano liceat facis & decorantibus pharmacis uti, ablegatoque circa hanc rem B. L. ad TERTULLIANI & CYPRIANI aliorumque Ecclesiae Patrum de cultu feminarum Sermones, id praecipue agam, ut cum damnari atque prohiberi in integrum decoris medicamina nec possint nec debeant, (*nam eripi feminis cura cultus sui non potest*, CELS. *L. VI. C. V.*) Speciminis Inauguralis loco edoceam, quanam eorum cum periculo, quanam secure & utiliter in usum trahantur.

§. III.

Quae externo corporis habitui gratiam atque decorem vel conciliant, vel eundem conservant medicamenta, κοσμηματα latissimo sensu dicuntur. Ex his ea, quae corporis superficiei ita inducuntur, ut alium colorem mentiatur, proprie fuci, Graecis κομμοσμα, (non vero quod LOESEKE *Mat. Med.* habet, κοσμοσμα, quod graecum non est,) audiunt. At quae naturalem tuentur pulchritudinem, Cosmeticonum nomen servant; quamvis alii ad hanc distinctionem non attenderint. Conf. GALEN. *de C. M. S. L. Cap. 2. Lib. 1.* & CASP. HOFFMANN. *Comm. ad Galen. de V. P. N. 7.*

§. IV.

§. IV.

Præstantissimum omnium & maxime innocuum ac anti-
quissimum simul Cosmeticum jure suo censenda aqua est.
Hac sordes exterguntur, tepida cutis laxatur & perspiratio
promovetur, frigida modice stringitur roboraturque. Quot
cutis vitia ex squalore & immunditie nascantur, quotidiana
experientia edocti videmus, quippe quæ raro apud elegantio-
res, at frequentia in sordida plebecula inveniuntur. Quan-
to melius hac in re versati sunt majores nostri, qui quoti-
diana ablutione & frictione non manuum modo & faciei,
sed totius corporis usi, inspissatam in cutaneis poris materiem
perspirabilem eluebant! Solent autem hic fontanæ aquæ aut
rorem majalem, qui vero plane nihil specifici habet, aut
aquam fluviale præferre, & recte quidem, quippe quæ &
cursu exercitata & blandior existat. Aquæ enim sic dictæ du-
ræ cutim rigidam, molles vero laxam efficiunt; unde ille,
de quo UNZERUS refert *im Arzt Tom. VI. p. 36.* inter la-
vandam statim agnovit, ex quo puteo haulta aqua esset.
Urina vero ablui, quod aliis placet, sordidum & nauseosum
censemus, cum præsertim, ubi aquæ virtus salibus acuenda
videtur, alia minus obscœna abunde suppetant. Itaque tam
illam, quam aquam omnium florum, ut vocant, quondam
usitatam, quam istam aquam, quæ ex vaporibus humanarum
fecum, ad modum in *Eph. Nat. Cur. T. IX. A. 1752.* re-
censitura colligitur, dignissima Paullinianæ Pharmacopœæ
stercorariæ ornamenta iis relinquimus, quibus formæ cura
usque adeo cordi est, ut a nullo squalore, a nullo fetore ab-
horreant; quanquam & his uti satius est, quum innocua sal-
tem sint, quam fucis & venenis faciem effodere.

§. V.

Intenduntur detergentes aquæ vires Saponibus naturali-
bus æque ac artificialibus. Pertinent huc vegetabilium mu-
cilagi-

cilagines Hinc aquæ inter lavandum addi solent furfures, vel cerealium granorum vel Amygdalarum ab expressione olei residui, vel fabarum lomentum, vel mica panis, qua jam Otho Imperator faciem madida liniisse fertur. SÆTON. C. XII. Huc etiam illa LIBAVII compositio *Synt. Arc. Chem. L. IV. C. 30.* pertinet. Ob eandem rationem Fabarum florum destillata aqua in vulgus nota, & Nymphææ aqua juxta SCHULZIIUM *M. M. p. 405.* & Dictamni albi, *Id. ibid. p. 352.* quoniam in his aquis semper aliquid mucilaginosi alembicum transcendit, & Decoctum Parietariæ a CRANZIO *Mat. Med. T. II. p. 7.* simplici aquæ præferuntur. Hinc & sylvestre Rapum laudatur PLINIO *H. N. L. 20. C. 3* pluraque alia, de quibus infra dicetur, Mel, Ovi albumen, Saliva, piscium fella, terrestrium Cochlearum sive Limacum *Lim.* gelatina, ex quibus multas compositiones cosmeticas ferri GESNERUS *Hist. anim.* refert, quæ autem vix percipiendo effectû sese probabunt, ubi Distillationi solummodo subjiciuntur, unde bene monet SCHULZIUS *M. M. p. 474.* decoctum magis valiturum esse, cum omnis ista gelatinæ quantitas, quæ animalibus adeo sensibilibus uti Limaces sunt inhæret, aquam facile coctione subeat; refertque idem Auctor, se novisse feminam, quæ cum omni sua familia venustatem ejus ope diutissime conservavit. Artificialium vero Saponum ex Oleo & alcalino Sale factorum usus quotidianus & innoxius est, licet cutim inde exasperari quidam putent, quod non nisi in illis saponibus contingere censemus, in quibus Alkali justam proportionem multo excedit, ut tota sua acrimonia agere ferre possit, quemadmodum & his usu venire videmus, quæ lixivii diutius immerfas manus tenent. Artificialem Saponem naturalibus miscet PHARM. BAT. sub Saponis mellis nomine, *p. 75.* Turcæ Saponis loco in balneis publicis, Margæ fullonum saponacea lamellosa WALLER Rosæ foliis mixta utuntur, referente RUSSEL *Natural History of Aleppo p. 48.* de qua vid. SMITH, *Transact. Angl. N.º. 220.* Odoratorum

rum saponum compositiones aliquot videri possunt apud JUNGKEN *Corp. Pharm. Chym. Med. Sect. III. Cap. VI.* Pilæ odoratæ *Pharmac. Batean. p. 90.* Savonetta Cosmetica *ibid. p. 113.* Pasta ad manuum lotionem DE JEAN C. 38. p. 303. & Saponēs *ibid. C. 40. p. 331.*

§. VI.

Cutim lævem habere & mollem, non minus inter externæ formæ decore reponitur. Quod quidem simplici tepida aqua & supra dictis mucilaginosi, ex qualibus illud Cosmeticum, quod OVIDIUS *med. fac. vers. 53.* describit, mere constat, aliquo modo jam obtinetur; sed & præter ea, omnibus iis, quæ ad emollientium classē a Materiæ Medicæ Scriptoribus referuntur, lacte præcipue atque pinguibus. Poppæam Neronis uxorem, asinino lacte balnea sibi paravisse, in eumque finem insignem asinarum numerum semper secum duxisse, PLINIUS refert *H. N. L. 28. C. 12.* & variis oleis unguentisque perlini Veteribus æque, apud quos peculiare ministerium Aliptæ dicti huic negotio præfixi erant, ac nobis familiare est. Oleo olivarum & oleæ foliis uti jubet PLINIUS *L. 23. C. 4.* Unctuosum humorem in Ulmi folliculis nascentem cuti nitorem inducere, faciemque gratiorem præstare, narrat IDEM *L. 24. C. 8.* Nostris mulierculis butyrum cum vino usitatum est, ut jam unguenta ista pomata mira odorum varietate in Italia & Gallia præcipue meridionali præparata, conf. DE JEAN *Traité des Odeurs, p. 271. 336. & 381.* & omni veterum Syria Nardo Balanoque certe non inferiora, easque compositiones, quas JUNGKEN habet, *Art. Pharm. Sect. III. Cap. VI. p. 651. 63. 672.* & Oleum Cosmeticum *Pharm. Bat. p. 83.* & Oleum Tritici, *ibid. p. 86.* taceam. Ita vero perunctis facies ardori Solis non exponenda est, nisi nigrescere velint, quod circulatoriæ illius Egyptiæ gentis exemplo videmus, quæ infantes suos, ut nigri

gri fiant, inuncta anserino adipe facie, Soli exponere dicitur. Idem rusticis hominibus usu venire solet, quibus Phœbi ætus subcutaneam pinguedinem fundit, & cuti altius inurit. Unde illud intellectu mihi difficile est, quod GESNERUS *Hist. av. fol. LIX. pag. a. edit. germ.* ex PLINIO refert, axungiam anseris vel gallinæ faciem præservare ab ustione Solis, pulcramque reddere: & ille color, quem unguendo comparari CICERO innuit, *Ep. ad. Fam. L. 1. Ep. 9.* non de colore proprie sic dicto, sed de nitore bene curatæ cutis, quem in gladiatoribus expetebant Romani, intelligendus est. Caveant quoque, quæ pinguibus crebro utuntur, ne negligentius ea iterum abstergendo, perspirantia cutis oscula obturent, aut omnia illa mala incurrant, quæ a nimis debilitata fibra originem trahunt, præcipue cum sequior sexus habitu laxiore utplurimum gaudere soleat. In contrariam partem eæ peccant, quæ spirituosis abutendo cutis fibras stringunt, eoque modo rugosam sibi faciem præpropere conciliant. Hinc nec Spiritum Saponis Saxonicum, qui celebrari pauco abhinc tempore cœpit, nec Benzoës Tincturam nimis sæpe in usum vocandam esse censeo, licet a BOERHAAVIO *Chem. T. II. Part. 1. Proc. 59.* inter innoxia Cosmética jure reponatur. Minus pertimescendus videtur hic effectus esse in Oleo Myrrhæ per deliquium, quod insigne Cosmétique vocat ALLEN *Synops. Med. pract. C. X. §. 105.* & splendidam cutem facere Cel. SPIELMANNUS dicit *Instit. Chemia p. 54.* quoniam non modo vini spiritu destituitur, sed & quæ Gummi-resinæ inest acrimonia, ovi albumine temperatur. Chirothecæ ex caninis pellibus, quibus cutem lævigari putant, & quarum ingratus odor facile Ambra, Moscho, & aliis fragrantibus corrigitur, aut lævigatas ex rupicapræ pellibus, quas *gants glaces* vocant, DE JEAN *Traité des Odeurs p. 209.* induant quo usque lubuerit feminæ, quum nihil inde noxæ metuendum sit, & experiantur etiam, si velint, quid interna Crocodili minoris terrestri, (an Lacertæ Cordyli, LINN.?) præ-

præsent, quæ quanquam ex aqua illita nitorem faciei conciliare a PLINIO perhibentur, *H. N. L. 28. C. 8.* hodie tamen negliguntur.

§. VII.

Ipsam autem, si semel rugis exarata est, cutem difficile videtur pristinae glabritiei restituere, cum non nisi in ætate provec̄tis, in quibus omnis Medicina deficit, ut plurimum occurrere soleant. Sin autem constiterit, rugas adstringentibus acceleratas esse, tunc emollientibus curam afferri aliqualem posse palam est, uti e contrario roborantia medebuntur malo, si relaxantium abusu fuerit accersitum. Nam quæ PLINIO cutem faciei extendere dicuntur Cacaliæ grana cum Cera, *L. 26. C. 15.* & Ichthyocola cum Sulphure, Anchusa & Spuma argenti, *Id. L. 32. C. 7.* aliaque, nobis ambigua videntur. Et præter cæmenta ista mineralia, quibus faciem quasi pavendo rugas explent, nullum hucusque medicamentum muliebri ingenium excogitavit. Rugas præservant cerato linteo quo noctu frons redimitur, *DE JEAN Traité des Odeurs p. 207.* Conf. de rugis MERCURIALIS *C. 23.*

§. VIII.

Est & alius adhuc modus lævigandi corpus, pulveribus ficcis mechanico fere modo agentibus, qui cuti non unctæ ad eam detergendam adsperebantur, ex Nitro, Sale, Cimolia, lomento Fabarum, Furfuribus, Pumice compositis, quæ veteribus *σμηλαι* sive Smegmata audiebant, *GORR.* & quibus faciem fricando reliquis cosmeticis præparabant *PLIN. L. 32. C. 7.* Quo & Alumen sic dictum Saccharinum pertinere puto, cujus improbandus est usus, ob insignem contrahendi vim, licet addita Rosarum aqua & Ovi albumine aliquantum mitigetur. Adhuc pejora sunt sudaria sic dicta

B

Cypria,

Cypria, (*mouchoirs de Venus*), quibus Alumini, Boraci, Tragacanthæ, Ceruffæ incoctis & siccatis facies perfricatur. DE JEAN *l. c. p. 204.* Neque hic omittendum est Talcum pingue, aliis Mica argentea dictum, quod cum flexilibus tactuque pinguibus particulis constat, in pulverem impalpabilem a quibusdam redigitur, & pomatis unguentis miscetur. BATEANA PHARMACOPOEIA Talcum cum Camphoræ Oleo digerit, & sub *Arcani Cosmetici* nomine *p. 17.* exhibet. Alii liquorem aut oleum ex Talco obtinere allaborarunt, sed irritis ex mente plurium Auctorum experimentis, TEICHMEYER. *Instit. Mat. Med. p. 140.* GEOFR. *M. M. Regn. min. Sect. 111. C. 2.* in lapide fere apyro nullisque menstruis & omnium minime ovorum albumine aut byroniæ succo, quo tamen deliquari vult DE JEAN *l. c. p. 214. 215.* solvendo, licet modum quo calcinari possit ex MORHOFIO doceat JUNCKERUS *Consp. Chem. Tom. 1. Tab. X. N°. VI. Obs. 10.* & artificium quo ad deliquescendum adigi potest, tradant KOENIG. *regn. min. p. 308.* WALLERIUS *Mineralog. p. 180.* & PHARMAC. *BAT. p. 86.* qui autem potius Glauberianum Alcalhest quam verum Talci Oleum obtinuisse videntur.

Ancēps hæreo, an commemorem adhuc crudelem istum modum, quo Italiæ præcipue feminae quondam acribus & vesicantibus faciem exulcerare solebant, ut detracto veteri corio & succrescente novo molliore & tenuiore, senectam quasi ad instar serpentum deponerent. *Vix res venturis credenda seclis*, tam diros cruciatus, tanta discrimina ultro appetisse puellas, ni fide digni testes, JOS. SCALIGER alique nos obstringerent. *Sed quid non mortalia pectora cogit sacra cupido placendi!*

§. IX.

Oriri solent sæpius in superficie cutis maculæ fuscæ, quæ a figura Latinis *Lentigines*, Græcis *ἐπιιδες* a causâ quæ illas

las producit, nominantur, quippe in his tantum observantur, qui solis ardori diutius se exponunt, & ab inspissatis in cute humoribus originem trahunt. Namque uti de Æthiopia colore demonstratum est, eum in reticulari Malpighii corpore inter epidermidem & cutim residere, ita & accidit sæpius; ut reticulata hæc tela hinc inde tantum nigrescat, & per pellicentem epidermidem transpareat. Quæ licet maculæ sæpius sponte iterum hyeme evanescant, tamen aliquando medicamenta requirunt, cum feminarum pulchritudini non eo usque invidendum sit, ut talium curationem cum CELSO *L. VI. C. V.* inter ineptias reponamus. Atque omnem remedium cohortem, quæ huc facere ab Auctoribus perhibetur, in eo convenire videmus, quod emollientem virtutem cum leniter acri, atque adeo resolventem possideant. Laudatur Erucæ semen cum melle PLINIO *L. XX. C. 13.* Sifymbrium sylvestre, *L. XX. C. 22.* Lini semen, *ibid.* Sium noctu illitum, *L. XXII. C. 22.* Labruscæ baccæ, *L. XXIII. C. 1.* & *L. XXVII. C. 7.* Lycii succus *L. XXIV. C. 14.* Cinis primorum ramorum Salicis cum ejusdem succo *L. XXIV. C. 9.* Mandragora *L. XXV. C. 13.* Gentiana, Nymphæa Heraclia, Cyclaminis radix *L. XXVI. C. 15.* Adeps anseris cum Ocymi succo *L. XXVIII. C. 11.* Tum Sepiæ ova cum melle, Murex ustus aut fel Anthiæ piscis cum melle; Hippopotami usta cutis, Ova aceto macerata cum semine Sinapeos, fel Pelecani cum Nitro, ossa Pavonis usta cum aceto, fimus Hirundinum, adeps Cygni cum vino, sterces Passeris & Surni qui Oryza pastus est, Eboris ramenta cum melle, & sexcenta alia. Sanguinem menstruum aqua dilutum commendat AGRICOLA *Chirurg. parv. tr. V. p. 540.* & HARTMANN. *Pract. Chym. p. 69.* Stercus columbinum in aceto AETIUS, *Tetrab. II. Sect. 4. C. 10.* apud quem toto Sermone quarto innumera talia collecta prostant, quæ autem hodie negligimus, ex quo præstans illud cosmeticum *Benzoës Tinctura* innotuit. Hæc aquæ infusa lactescit, & maculas

egregie tollit; *Lac virginis* nomen mixturæ inditum est, non confundendum cum alio ejusdem nominis, quod JUNGKE-
NIUS ex Alumine crudo cum aqua ad tertias decocto, & Li-
thargyrio cum aceto decocto conficit *Art. Pharm. Sect. III.*
Cap. VII. p. 448. quodque SCHULZIUS *Mat. Med. p. 93.*
ad ambusta a sole, & BOERHAAVIUS *Chym. Proc. 172.* ad
pustulas & rubedines tollendas & cuti candorem nitoremque
conciliandum facere dicant. Est & aliud ejusdem nominis,
ex aqua Solani, Nymphææ, Lactucæ, Aceto, Lithargyro,
Cerussa, Camphora compositum, quod ex SCHROEDERO
habet JUNGK. *ibid. p. 187.* quorum autem noxius effectus in-
fra notabitur. Cui otium suppetit, is perlegat triginta qua-
tuor quæ in BLEGNY *Recueil concernant la beauté & la*
santé T. II. p. 42. extant, & quæ ex illo opere excerptæ
sunt in DE JEAN *Traité des Odeurs p. 38.* octo Virginei
lactis compositiones, easdemque ex Lithargyrii & Cerussæ in-
redientis proportione dijudicet. Tutius his in usum vocatur
Liquor cosmeticus ex Tartaro & Sale Ammoniaco calcinatis,
quem faciem pulcram reddere, rugas & maculas exterere,
capillos producere, productos servare & aureos reddere pro-
mittit LIBAVIUS *Synt. Arc. Chym. L. III. C. 17.* aut quam
ibid. L. VII. C. 33. ex JOH. ANGLICO habet Cosmetica
aqua ex Alumine plumoso, Sale Gemmæ, Alumine, Cam-
phora, Oleo Tartari, Thure & Aqua Rosarum composita,
aut Boracis solutio, vel ovorum Oleum, quod cutis foedita-
tem mire auferre docet JUNGKEN. *Art. Pharm. Sect. III.*
C. 19. p. 131. Iners autem est aqua ex Sabinæ cinere de-
stillata, quam nescio quo Auctore laudat WOYT. *Gazophyl.*
Et si omnes istas destillatas aquas, quas futili negotio nu-
mero XXXIII. ex substantiis, quorum ut plurimum nihil alembicum
transcendit, obtinere putat DE JEAN *Traité des Odeurs*
Paris 1764. 8vo. *p. 146.* recensere & sub examen revocare
vellem, nunquam finiam. Tametsi optandum est, feminas
his potius, quam aliis male efficacioribus uti.

Cete-

Ceterum præcavere has maculas quam exortis mederi fa-
tius erit. Experiantur quibus talia curæ sunt, quid Solani
succus præstet, quo præservandi sine mulieres Genuenses in
folem prodituras faciem perlinere MERCURIALIS refert, p. 15.
& Ovorum albumen, quod PLINIUS *H. N. L. XXIX. C. 3.*
laudat, & Trifolii cui minima folia sunt semen in facie illi-
tum, *Id. L. XXI. C. 21.* aqua Pimpinellæ, Cerefolii, Lu-
pinorum infusum, Fragorum succus & Portulacæ, Mucilagi-
nes lini & psyllii, Tragacantha, & ex his præparatæ aquæ,
quas supra dictus DE JEAN p. 164. tradit.

§. X.

Interdum existit turpi verruca papilla, SER. SAMMON.
quæ & visu foeda est & valde incommoda; hanc auferre ci-
tra effeminati animi notam studemus. Sed neque id ferro
experiendum est, quoniam vel relicta radice malum semper
fuccrescit, nec *fibris requies datur ulla renatis*, vel adacto al-
tius scalpello, dolores summi, convulsivi motus, ipsa denique
mors, PUFENDORFII exemplo, insequi solent. Neque etiam
rodentia acria, qualia sunt Cantharides, Tithymali succus,
mineralia Acida uti Antimonii butyrum, Spiritus Sulphuris per
campanam apud CRANZIUM *Mat Med. T. II. p. 92*, &
Spiritus Vitrioli Veneris in *EPH. NAT. CUR. Dec. III ann.*
7. 8. Oleum viridis æris *Pharm. Bat. p. 86.* Lapis causti-
cus & infernalis &c. ne summa quidem cum cautela adhibi-
ta concedi facile possunt, quoniam præter ea mala quæ scal-
pelli usum concomitari solent, partes vicinæ quoque facillime
arroduntur. Multo mitius agunt & tutius adhibentur, quæ vete-
ribus commendantur Glaucii piscis hepar, Fel Scorpii marini,
quo defectu alia fella eundem habebunt effectum, lomentum
cum Pistaciis & Melle, Lac ficulnum, *PLIN. L. XXIII. C. 7.*
& quem SALERNITANA SCHOLA laudat Salicis cortex aceto co-
ctus. Nobis præcipue in usu sunt Sempervivum tectorum, &

quam jam AVICENNA *Can. II.* & ex eo VILLANOVANUS extollit, Portulaca. Saliva jejuni hominis quotidie linctas per quatuordecim dies excidiſſe radicitus ipſe expertus ſum; eundemque effectum ſequi, quando cruda carne fricantur, vulgo contendunt: in qua re tamen illud ſuperſtitioſum & e ſympatheticarum curationum doctrina deſumptum negligi perbene poteſt, quod ſub ſtillicidio deſodi jubeatur. Mire placet liquor Limacum, quem ex conciſis Limacibus & Sale, in manica Hippocratis ſuſpenſis parat *Pharm. Batean. p. 72.* Cinèribus clavellatis uti docet UNZERUS *im Arzt T. VIII. p. 300.* qui modus cum iſto Pliniano fere convenit, quando *L. XXIV C. 9.* cinerem e coriſe primorum ramorum Salicis verrucis tollendis præſcribit. Alii ejus loco Oleum Tartari per deliquium adhibere amant. Neque ſpernendi videntur effectus eſſe Saponis, Gelatinæ C. C. cum aceto, Gummi Ammoniaci, Caricarum diſſectarum, quorum utendi modus apud eundem UNZERUM *l. c.* videri poteſt. Variâ unguenta & emplaſtra quæ hinc inde ex emollientibus & reſolventibus etiam acrioribus, quorum tamen vis adjectis pinguihus mitigatur, compoſita inveniuntur, quale eſt *Balsamum magiſtrale PHARM. BATEAN p. 19.* ex ipſa ingredientium indole & proportione dijudicanda ſunt.

§. XI.

Quam ſingulari & vix explicando effectû, foetus in matris utero quamcunque impreſſionem aſſumere cereus, nævis ſic dictis maternis ſæpe deſcedetur, in vulgus notum eſt. Qui licet in adultis tolli nunquam poſſint, in infantibus tamen aliquando curati leguntur. Tentari poſſunt, quæ paſſim laudantur, decoctum ſaturatum radicum Perſici mali cum cereviſia SCHULZ. *M. M. p. 173.* Succus fragorum, frictio vitulina carne, oleum ovorum, jejuni hominis ſaliva inter nos uſitata inſontia ſemper & non ſpernendi ſæpius effectus ſunt. Conf. RAU. *Diff. de Nævis maternis.*

§. XII.

§. XII.

Qui confluentes quas timet notas decora virgo, certa medicina præcavere noverit, & faciem eripere periclitantem, protegereque perniciem juvenum futuram, is grato sane officio sequiorem sexum sibi obstrinxerit, quippe non alia magis re quam foveolis variolarum viru erosus cutis defœdatur. Gelatinosa enim & involventia, qualia sunt Lac, coctorum Pomorum pulpa, Cydoniorum miva, Nodulus facialis *Pharm. Batean. p. 80.* Balsamum verum *ibid. p. 24.* non satis valida sæpe sunt ad coercendum tantum hostem: Butyrum autem, ovorum Oleum, & quod QUINCY laudat *English Dispensatory P. II. Sect. 4. n. 376.* Sperma Ceti cum amygdalarum Oleo, ex quibus addito Oleo Rhodio unguentum ad foveas parat *Pharm. Bat. p. 149.* aliaque oleosa ab optimæ notæ Medicis practicis improbantur. Nonne ergo summo jure inoculatio variolarum inter prima cosmetica reponenda esset, quippe quam nunquam malæ indolis exanthemata sed discreta & benigna excitare, omnes, qui non præfractè contra insicionem militant, Auctores uno ore adferunt? *Aquam venustatis* ex aqua Menthæ & Sale communi decoctam post variolas laudat *Pharm. Batean. p. 16.*

§. XIII.

Dentium cura quantum ad sanitatem, tantum ad pulchritudinem spectat. Sed dolendum est, perversa ut plurimum ratione eam institui, & in quibus sanitatis præsidia quæsitæ sunt, in perniciem verti. De exitiosa ista consuetudine loquor, qua metallicis instrumentis dentium interstitia a ciborum reliquiis repurgantur, & successu temporis ablata tabula vitrea ipsi dentes ad cariem disponuntur. Non melius fere ii faciunt, qui dentificiis pulveribus aut bacillis *BAV. Synt. Arc. Chem. L. VII. C. 31.* ex plurimis corporibus

bus mechanico tantum modo agentibus, Osteocolla, Sepiæ ossibus, Coralliis, & quod adhuc pejus est, Pumice, Vitri felle &c. compositis abutuntur. Ergo qui incorrupta dentium albedine & integritate frui velit, is id commendatum sibi habeat, ut os quotidie frigida eluendo, ac si velit radice Malvæ, methodo apud DE JEAN *L. c. p. 230.* dicto præparata fricando, & omnes ciborum reliquias in putredinem abituras sedulo nec ferreis instrumentis auferendo, ab omni immunditie præservet potius, quam eandem ex negligentia ortam dentifriciis extergere necesse habeat; a Nicotianæ quoque fumo, ni acri ejus fuligine arrosos dentes habere velit, & a dulcium masticatione, quæ visciditate sua dentibus adhærent & acescentia corrumpunt, abstineat, BOERHAAVIANI illius præcepti memor, qui *Chemie Tom. 1. p. m. 737.* ab acidis fallaci specie pulchri nitoris ab initio blandientibus, sed dentes brevi tempore solventibus & hebetantibus, sedulo cavendum esse monet. Hinc & illa methodus quorundam Odontiatrorum displicet, qui firmandis gingivis Acetose fucum adhibent, cum Tinctura Laccæ & alia isti scopo suppetant.

Ceterum qui ita oris munditiei quotidie prospicit, is omnibus quæ ad commendationem halitus & animæ foetorem corrigendum faciunt; Olivis, (quas tamen, licet CRANZIO *Mat. Med. T. 1. p. 41.* commendatas, quomodo hoc præstare possint, non video,) Aniso stellato, CRANZ. *ibid. T. 1. p. 109.* Trochiscis Alkermes & de terra Catechu; Corpore sine anima *Pharm. Batean. p. 35.* & omnibus istis pastillis fuscæ a DE JEAN *Traité des Odeurs p. 463.* descriptis, aliisque odoratis facile carebit, nec illud diciturum in se cadere faciet, *pestime olere, qui optime olet.*

§. XIV.

Quoniam huc deventum est, liceat paucis de alio foetoris genere dicere, quod adeo rædiosum est, ut qui liberari eo possit,

possit, satis comtus esse sibi videri debeat, hircum olere dicunt, & a sudore vel pedum vel glandularum subaxillarum aut inguinalium oritur, quam periculoso autem eventu adstringentibus & repellentibus inhibeatur, omnium medicorum observationes testantur. Itaque rationalis molestæ purificatione, abstinencia ab omnibus acribus & grave olentibus, & crebra linteorum & vestium mutatione ac munditie ponatur, & donec fætor penitus tollatur, odoriferis pallietur; cui rei præcipue sacculi isti odorati, quos aromatibus farciunt, Gallis *Pot-pourris* dicti, DE JEAN *Traité des odeurs* p. 447. & vestimentis infuti conducunt, & si genuinus haberi possit Hierochuntinus Balsamus, quem ideo quod lacte facillime solvatur, inter innoxiorum Cosmesticorum præcipua ponit VOGEL *Progr. de Bals. Mecc.*

§. XV.

Pili, licet homini tam tegmenti quam ornatus loco per omnem corporis superficiem a sapienti natura dati esse videantur, quod vel exemplo hominum inter feras adolescentium patet, quibus Polyphemi ad instar OVIDIANI *coma plurima torvos prominet in vultus, humerosque ut lucus obumbrat, durisque horrent densissima setis Corpora*, tamen nobis cultioribus quibusdam in locis pilosum esse dedecori habetur. Casaries nimium per frontem dispersa, & quæ feminarum colla, malas & brachia interdum obsidet lanugo, adeo expetitam cutis glabritiem multum alterant, ut jam de vere barbatis mulieribus nil dicam.

Psylotra vocantur aut depilatoria medicamenta, quibus inunctis superflui pili auferuntur. Quæ etsi a quibusdam nulla perfecta hucusque dari afferantur, ita pilos funditus tollentia, ut nunquam redeant, mihi tamen res distinctionem admittere videtur. Cum enim duplex pilorum genus sit,

C

HALL.

HALL. in *Præl. Berb. T. III. p. 529. N. c.* aliud, quod protractis in longum canalem papillis nerveis cutaneis oritur, aliud, quod ex ipsa cellulosa tela propriis bulbis & radicibus enascitur, non video quomodo tales pili extirpatis radicibus pullulare iterum queant. Ideo etiam vulsura absque medicamento illitu sola vossella instituta, quam JULIUS CÆSAR male cinctus, & muliebriter studiosus OTHO adhibere consueverant, certissimam glabrandi corporis rationem subministrabit, si quem nec dolorum nec temporis pigeat. Interponenda enim singulis vulsuris mora est, ne nimia irritatione locus inflammetur. Alterius autem generis pilos, utut avulsos, haud secus ac alias productiones nervearum papillarum, e.g. ungues, callos, verrucas succrescere iterum posse, lubenter concedo, consentiente BOERHAAVIO in *propr. Inf. T. III. p. 531.* licet pilos inordinate per frontem luxuriantes impostæ aliquot mensium spatio fasciæ lanæ rudioris ope, omnes extirpatos nec unquam redeantes aliquoties viderim, & interdum etiam iis quibus vesicatoria olim furis adplicita fuerunt, pili per omnem vitam non amplius redeant. Psylotrorum autem proprie dictorum magnam vim apud veteres invenire est, quæ si inter se invicem comparantur, omnia fere acria & rodentia esse deprehenduntur. Hic tibi commendari videas molluscorum animalium marinorum plurima, Lologines, Thetyas, Holothurias, Medusas &c. quibus etiam viventibus ut plurimum urens virtus inest; tum plurium animalium exustorum cineres, Aceto, Tichymali succo, Pici, aliisque acribus juncti, quorum insignem numerum passim apud PLINIUM, & ex eo apud insequentis ævi Auctores invenimus. Archezostin, quam PLINIUS *L. XXVI. C. 15.* efficacissimum Psylotron vocat, ignoramus, nisi sit Labrusca aut Tamus. An Thunnus veterum, cujus sanguis, hepar & fel tam potens psylotron GESNERO *pisc. LIX. a. ed. germ.* ex veteribus dicitur, ut pili non amplius redeant, sit idem piscis cum Scombro Thyanno *Lim.* in dubio est.

Aqua

Aqua Hauridium, quam pilos auferre GESNERUS *Hist. Av. fol. 214. b.* ait, plane iners est. Videntur vero omnia hæc non eodem modo in usum vocata fuisse, cum alia pilos depluere facere, alia ne redeant impedire dicantur, licet in omnium psylotrorum usu pilos prius evellendos esse moneat PLINIUS *H. N. L. XXXII. C. 10.* Hodie liquor ex poris Lacertæ Salamandræ exsudans pro psylotro habetur, a LINNEO & LEMERY in *Mat. Med.* Vulgatissimum autem depilatorium ex Auripigmento & Calce viva componitur, quo illito & siccato sponte fere pili desluunt. Proportionem ejus ex duodecim partibus Calcis vivæ, una Auripigmenti, & octo Amyli partibus pastam conficiendo, quæ post exsiccationem statim aqua calida abluenda est, docet CRANZ. *M. M. T. III. p. 23.* Aliam vero habet *Pharm. Batean. p. 148.* quæ omisso amylo, Iridis quoque radicem, Nitrum, sulphur, Magistrale lixivium, & ad foetidissimum odorem corrigendum Oleum Caryophyllorum commiscet.

Circa Psylotrorum omnium usum facile subscribo sententiæ LE BEGUE DE PRESLE, qui in *Conserv. de la Santé p. 347.* ob causticam eorum indolem abstinendum ab iis esse pronunciat; nisi forte certis encheiresibus & summa cum cautela adhibita innocua evadant. Certe nil quicquam mali evenire Turcis lego, qui Rusmate suo a), sive illud jam ex Auripigmento & Calce viva componatur, sive quod aliis Auctoribus placet, peculiare corpus fossile sit, in evellendis pilis quotidie utuntur. Cœpit hic Turcarum mos haud ita pridem etiam Gallis sese probare, in quorum metropoli jam publici balneatores depilatorii inveniuntur; ut mirum videatur, gentem quæ per plura secula toti fere Europæ in vestimentorum ratione & formis condendis, omnique vivendi genere & moribus leges posuit, jam barbaræ gentis consuetudines & cultum vicissim mutuari.

a) *Rusma* ex Auripigmento & Calce viva, addito Spicæ Oleo parari, cum aliis, putant WEDELIUS & WALLERIUS, alii Vitriolicam

Terram esse credunt, quam *Lapidem Atramentarium mineralisatum* vocat VALMONT DE BOMARE *Mineralog. T. I. p. 315.* BRONNIUS vidisse se in Galacia fodinas testatur, unde petitam Rufina fuit: & cum POMER *Diſt. des Drogues,* & SAVARY *Diſt. de Commerce* Rufinatis effectum tutiorem & certiore esse præ Auripigmento asserit, hinc ab ista compositione differre videtur. Modum eo utendi docet BELLON. *Obs. L. III. Cap. 33.* & SMITH *Transf. Angl. N^o. 243.*

§. XVI.

Contrarium nimix pilositati vitium est, quando caput & supercilia, quæ comata naturaliter esse debent, pilis vel plane nullis, vel tenuibus & raris, vel brevioribus conferuntur. Fit id sæpe post diuturnos morbos, febres continuas, veneream lucem, aliosque, ut negato capillis nutritio succo arefacti sponte defluant, illudque affectionis genus Alopecia vocatur, cujus species est Ophiasis atque Madarosis. Magnum apud Romanos calvities opprobrium erat, ut vel Julii Cæsaris exemplo patet, qui ejus deformitatem iniquissime ferebat, SÆTON. *L. LIV.* & tantæ dignitatis capillus in feminis est, ut si & ceterum Venus ipsa fuerit & calva proceſſerit, placere non possit ne Vulcano quidem suo. APULEJ. *II. Miles.* Qui morbo defluerunt pili sponte quidem sæpiſſime redeunt, feminæ autem ut longis *per colla decora Crinibus effusis* incedere possint, varia tentarunt medicamenta, quæ in scholis medicorum *πριχρῶν*, id est pilos augmentia dicuntur, & quorum aliis comam ne cadat impedire, aliis calvitiem capillitio obducere adſcribitur, licet veteres promiſcæ diverſas has virtutes eidem medicamento sæpius attribuunt. Felle taurino cum Alumine Alopecias illinunt PLIN. *L. XXVIII. C. II.* Eadem Tamaricis semini virtus adſcribitur, *ibid.* Armeno lapidi inventa per Hispanias arena est, quæ usum ad alendos pilos maxime in palpebris habet. PLIN. *L. XXXV. C. 6.* *Nasturtii succus crines retinere fluentes Inlitis* dicitur. SCHOL. SALERN. Quod alii facere solent ad-

adplicito vesicatorio humores ad locum quem pilosum esse vo-
lunt, iuvare displicet, cum & dolorifica sit medicatio & an-
iceps eventus, quippe vesicatorii usu pili sæpius ut supra jam
monitum est, penitus extirpantur. Cerussa cum Aceto illita
quomodo juxta PLINIUM *L. XXXIV. C. 18.* alopecias ex-
plere possit, cum adstringens & repellens medicamentum
sit, non video, licet decidentem sistere stipticitate sua queat.
Sed Veteres sæpissime terminis: alopeciam explere, & crines
cadentes retinere: promiscue utuntur. Præstat ergo emol-
lientibus cutim, aut si adsint capillorum tubulos laxando,
feri adfluxum intendere, quod vel Mellis aqua, quæ speci-
ficæ hic virtutis esse dicitur; vel Aqua crinali *Pharm. Batean.*
p. 8. quam nescio quo pacto Muscæ ingrediuntur; vel Oleo
chartæ, *ibid. p. 82.* cujus effectum omne aliud empyrevma-
ticum oleum edet; vel Oleo *τριχορροει* *ibid. p. 86.* multo Abro-
tano diviti; vel Pulvere crinali *ibid. p. 101.* in quo emol-
lientibus aromata juncta sunt; vel Unguento crinifico, *ibid.*
p. 148. omnium fere præcedentium virtutes complectente;
vel simplicissimo modo, axungiis variis, inter quas antiqui
Auctores præcipue Suillam veterem, forte ideo quod rancida
& acrior sit, Ursinam, Leoninam, Leopardi, Hyænxæ, Aniseris
& Anguillæ commendarunt; vel Ovorum oleo, vel Unguentis
sic dictis pomatis, quorum multæ compositiones prostant,
JUNGK. *Art. Pharm. S. III. C. VI. p. 651. 653. 672.*
DE JEAN *Traité des Odeurs p. 387.* vel Æthereis oleis,
ibid. p. 336. vel Cypriis pulveribus, *ibid. p. 423.* vel septem
ejusdem arcanis, *ibid. p. 261.* tuto obtinetur. Forte etiam
non abs re fuerit, fortioribus acribus stimulum supra dictis
relaxantibus adjicere, cum a veteribus Nitrum, Cineres A-
sphodeli radices, PLIN. *L. XXII. C. 22.* & variorum ani-
malium æque ac vegetabilium; sinum Caprillum, Felinum,
Columbinum, Leporinum, Hircinum, Hirundinum, PAULLI-
NI *Dreck-Apothek. P. II. p. 244.* Ladani Gummi, Tha-
psixæ & Euphorbiæ succum, Helleborum, Squillam, Gum-
mi

mi Ammoniacum, Adianthi herbam, quod sine dubio aureum est, unde etiam Polytrichi nomen accepit, oleis, fellibus, axunguis variis, Sanguini testudinis, melli &c. mixta in hunc finem fuisse legamus. Pilositatem nimiam ex lotione Buxi decocto instituta observavit LENTILIUS in *E. N. C. Dec. XI. Ann. XI. Obs. 55.* repetente HALLERO *stirp. Helvet.* hinc etiam inter medicamenta *Spexequi* reponi potest, & cum adstringendo agat, nos docet de specificis virtutibus ex generalioribus facultatibus non debere judicari.

§. XVII.

Ad calvitium refertur quoque a PLAZIO *de juc. morb. causis. Diss. III. de morbis ex munditie intempestiva p. 57.* illa recepta nostris seculis apud formæ morosiores consuetudo, qua calamitris & ferro calefacto in cincinnos crispatur cæsaries, reflecto ad transversum fere digiti distantiam ab calva capillo. Quo autem jure in hanc uti vocat artificio expetitam calvitium invehatur, & mala plurima a denudato & frigori exposito vertice minuetur, ipse viderit. Judicet quisvis æquus rerum arbiter, meliusne demisso in humeros capillo caput a frigore præservetur, an a contortis plurimo gyro in se invicem & dense sibi incumbentibus cincinnis. Neque tamen inficias eo, quod pluribus Auctoribus observatum est, a reflecta coma, fluxiones, odontalgias, lippitudines, aurium dolores, memoriam vacillantem, & a nimia ac perversa in crispando pilo cura cephalalgias aliaque mala ortum suum traxisse. Sed nec iis qui talibus obnoxii sunt, ut crinem scindant auctor fuero. Quæ sibi conducant, quæ officiant, optime quisque noverit. Id autem verum est, qui semel facti capilli voluptatem sensit, nec eo læditur, eum nunquam calvitium hanc cum quibuscumque prolixis crinibus esse mutaturum.

§. XVIII.

§. XVIII.

Color capillitii laudatur murrhinus, castaneus atque niger. Rufus, quoniam non optimam animi indolem arguere creditur, aliqua infamiae nota adhaesit, ut proverbio fere dicitur: *Hic ruber est, hunc tu Romane caveto*, licet abhinc paullo mos invaluerit apud Gallos, roseo pulvere cyprio crines adspargere, & quod cum naturae opus esset damnarunt, artificio expetere. Comam autem nostris temporibus cum non amplius detur Crathi aut Sybari amnibus lavare, qui *Electro similes faciunt atroque capillos*, OVID. *Metam.* XV. 315. hinc varia tingendis crinibus apta adhibere solent medicamina. Lyfimachiae usu flavescere crinem PLINIUS auctor est, *H. N. L. XXVI. C. 15.* Fumo ex felle Corvi, GESN. *Hist. av. ed. germ. p. 198. b.* ex RHASE; stomacho Corvi aut Cornicis putrefacto & oleo cocto *id. ibid.* ex ALBUCASE: Hirundinum fimo cum Taurino felle, *id. ibid. fol. 215. b.* ex MARCELLO EMPIRICO: crines dealbari meræ nugæ gerræque esse videntur, neque etiam albescentem capillum aridæ morosæque senectutis indicem a quoquam qui viriditate sua placere fatagit, expeti crediderim. At nigredo caesariei æque quam superciliorum præcipue venustate sua sese commendat, unde & longe plura quæ nigrore pilos inficiunt, inveniuntur medicamenta. Commendant veteres ova Otidis, Corvi, Ciconiæ, fel Meropis avis cum Omphacio, Hirudines in vino putrescentes, Ampelitin bitumini similem, PLIN. *H. N. L. XXXV. C. 16.* Hypericon, Ophryn, Polemonium, Canis cineres oleo illitos, *ibid. L. XXVI. C. 15. & L. XXVIII. C. 11.* Adianthum aureum f. polytrichum *L. XXII. C. 21. & L. XXV. C. 11.* Antimonio peculiari encheiresi comminuto cum fuligine thuris & terrimo adipe pilos denigrare docet ex Plinio LIBAVIUS *Synt. Arc. Chem. L. IV. C. 14.* Albo Hispanico eundem esse effectum contendit WALLERIUS *Mineralog. p. 317.*

Rubi

Rubi Idæi foliis uti docet LINNÆUS *Censur. Simpl. in Am. Acad. T. IV. 35.* Quidam succum foliorum Sphondylii & Ebuli cum decocto radicis, alii Juglandum cortices, HOFFMANNUS in *Clav. ad Schrad.* corticem Quercus, equorum scutellatorum exemplo, commendant. Aliis pectinis plumbei diuturno usu id obtinetur. Turcæ Ære usto cum gallis utuntur. BELLON. *Obs. L. III. C. 35.* Pessima est ista methodus, qua solutionem Argenti in Nitri Spiritu, addito Cypri Vitriolo aqua diluunt, & ita pilos tingunt. Concedi ista pigmenta possunt, quæ DE JEAN habet, *l. c. p. 258.* præter ea quæ plumbum recipiunt. In genere autem circa hæc mihi ita statuendum esse videtur, capilli colorem cum unice a relatione solidarum partium ad fluidas & habitu corporis dependeat, ita ut strictioribus nigri, laxioribus flavicantes aut rufi sint, in alium stabilem & perdurantem mutari non posse, adscitium autem, qui medicamentis præcipue noxiis mineralibus inducitur, cum cavis crinium canalibus & ipsi adeo sanguini venenatas particulas infundere aut obstruere ipsos canales possit, facile plurima mala excitare, quod vel solo tremore artuum, quem quæ plumbeis pectinibus utuntur incurrere solent, & cephalalgia, vertigine, visus hebetudine, tussicula, anorexia, lurido colore, quæ sequi docet LANGGUTH, *de morb. ex nim. pulchr. stud. p. 23.* probatur.

§. XIX.

Supereft dicendum de iis, quæ ut omnium perniciosissima sunt, sic præcipuam muliebris mundi partem componunt, quæque quoniam præsentissima pulchritudinis medicamina sunt, ab iis adhibentur, quæ vel consuetudinis torrente abreptæ seculi ingenio obtemperare coguntur, vel hebetes satis mente sunt, ut saltem quid præsens usus boni adfert respiciant, at exitiosum futuri temporis exitum nequaquam curent. Fucos istos proprie sic dictos intelligo, quibus inducta facies alia plane & quasi personata apparet.

Itaque

Itaque exaratom rugis cutem explent candoremque mentiuntur variis metallorum semimetallorumque calcibus atque magisteriis. Plumbum semivitrificatum quod Lithargyrium dicunt, aut acidis vegetabilibus in cryсталlos coactum Saccharum Saturni, aut aceti vapore erofum Ceruffæ nomine; Stannum eodem modo præparatum sub Albi Hispanici, (*Blanc d'Espagne*) Albi Anglici, Biaccæ Alexandrinæ titulo; Bismuthum nitri acido solutum, aqua præcipitatum & in umbra siccatum, vel sub magisterii marcasitæ nomine, vel quandoque sub Albi Hispanici aut Albi perlati nomine, quod autem illi demum quando Margaritæ adjiciuntur jure competit, DE JEAN *l. c. p. 267.* quo & Album Candiense pertinet, *Id. ibid. p. 268.* & illa albi compositio, quam SAVARY usitatissimam esse docet *dict. de comm. tit. fard.* Mercurius sublimatus & præcipitati feminino sexui totidem pulchritudinis pharmaca, vel tela potius quibus facies effoditur, ministrant. Neque hic in horum excusationem adferendum est, eadem fere medicamenta in unguentis & emplastris quotidie a Chirurgis adhiberi. Obtunduntur enim in illis adjectis pinguibus & resinosis perniciosæ vires & involvuntur, & quo minus inhalantia vasa subire possint retinentur, ut non nisi illum quem intendit medens effectum exserant. At quantas noxas ita nuda adhibita & cuti quasi intrita edant, liceat paucis Medicorum testimoniis probare. Acetum Lithargyrii in phtisin tandem inducere docet BOERHAAVIUS *Elem. Chem. Proc. 172.* quod sex septemve nobilibus puellis accidisse alio loco refert. Mercurii sublimati externo usu inflari faciem & pectus observat HIER. MERCÛRIALIS *de decorat. C. XII. p. 16. b.* & LIBAVIUS *Synt. Arc. Chem. L. VII. C. 30.* Ejusdem lethalem post fauces exulceratas effectum narrat PLATNER *Progr. de pallore &c.* Cerussatæ facies non tam a sulphuris fumo quo denigrantur, monente LIBAVIO *Alchym. Tract. I. C. 15. p. 60.* cavendum habent, sed potius ab aliis periculosis ipsius Cerussæ effectibus, quos

in foetore halitus, dentium putredine, & univcrsa facie ante tempus rugis exarata, quibus visus hebetudo addi potest, rectissime ponit BRASSAVOLUS *Exam. Metall.* Capitis dolores, pulmonalem phthisin, mortem ipsam inductam triplici exemplo refert LANGGUTH. *Diss. de morb. ex nim. pulchr. studio* p. 19. aliaque RIVINUS *Diss. de morbo retrogrado* & TRILLERUS *de paradox. Hipp.* §. 4. Si quæ tamen cerusatum medicamentum contentiose efflagitet, exhiberi illi aliqua Tinctura potest, in qua ad exemplum istius PHARM. BATEAN. p. 138. adjecto Alkali acetum destruitur, ut nihil Saturni in eo solum hæreret queat. Stanni vero & Bismuthi magisteria, licet non adeo virulenta ac plumbi calces sint, tamen rarius a labe Saturnina immunia sunt, & purissima etiam omnia illa mala producere possunt, quæ ab oppilatis exhalantibus vasis oriuntur, cutemque quam stringunt lyratam efficere.

§. XX.

Rubentes genas divini aliquid referre putabant veteres, unde Augustus inter Divos relatus purpureo ore nectar bibere dicitur HORAT. *L. III. Od. 3.* & triumphaturi Romanorum Imperatores, ut Jovis majestatem referrent, Minio inficere buccas solebant, quod & nostræ feminæ, non quidem quod ad divinam aliquam dignitatem adspirent, sed nimis humano consilio faciunt. Neque id pudore, quo fossile genæ dignissimum virgine fucum constituunt, sed pigmentis obtinere plurimæ tentant. Inter quæ innoxia fere sunt, quæ ex meris vegetabilibus succis aut animalibus conficiuntur. Veteres Lichene Roccella LINN. f. Alga tinctoria J. BAUH. quæ proprie planta illis *öw*, *ss.* audiebat, & unde dein omne muliebre pigmentum *öw*, *z.* dictum fuit, utebantur. FALLOP. *Fossil, C. 28.* Gallis hodie *orseille* dicitur, & his usibus cosmeticis amplius non inservit. Ipso muricum fan-

fangvine Purpura imbibebant cretam, purpurissimum vocabant. PLIN. L. XXXV. C. 6. quod ex muliebribus fucis fuisse ex PLAUTO & TERTULLIANO patet, ALDROVAND. de testac. L. III. C. V. p. 307. ulteriusque probavit RUDBECK. Ichthyol. Bibl. Part II. Simplicissima hodie rubra pigmenta petuntur ab aliis ex succo vulgaris Betæ radices, aliis ex Brasiliiano ligno, aliis ex Lawsoniæ sive Alcanthæ radicibus, aliis ex mero Coccionellæ Carmino, quod Talco alcoholifato mixtum Gallis proprie *le rouge* audit, cujusque varias compositiones & coloris intensitatis gradus tradit sæpe memoratus DE JEAN. *Traité des Odeurs*, p. 295. aliis ex Bezetta rubra aut Lusitanica lana, quæ ambæ eodem Cacti Cocco infectæ sunt, aliis tandem ex Charta sic dicta Hispanica, cujus tutior videtur esse usus, si Anchusæ radices succo, quod ALDROVAND. de testac. L. III. C. 5. p. 307. & SIMON PAULI in *quadripart. Botan.* p. 198. putant, aut ex WORMII sententia Santalo rubro, quam si juxta alios Spuma maris, Carthamo & arena tingatur, *Onomatol. Hist. nat. T. II. p. 820.* Quomodo ex Heliotropio sive Crotone LINN. *le Tournesol en chiffons* paretur, docet in *Act. Ac. Reg. Par.* NISSOLIUS, quæ omnia impune plurimum adhiberi posse viderentur, nisi ante eorum usum semper ferè dealbantibus fundamentum quasi jaceretur.

§. XXI.

Sunt adhuc alia bene multa, quæ cum decorem humani corporis alterent, hic sibi aliquem locum vindicarent, si latissimo sensu, quem me jam nimis fere prætergressum esse mihi videor, de Cosmeticis agere instituti ratio admitteret. Ergo nec hic de pallore faciei a Cachexia aut mala digestionem orto, quem intellexisse videntur SCHOLÆ SALERNITANÆ Auctores, quando *Vultibus eximium Hyssopum reparare colorem* dicunt, nec de lippitudine aut serophulis, nec quo-

modo nimia corporis obesitas, quam dubito Sapone, uti CRANZIUS vult, *M. M. T. III. p. 17.* semper curatum iri, aut papulosa & rubea facies aliaque cutanea vitia, quæ omnia deformitatem utique adferunt, tollenda sint, quicquam dicam: cum hæc ab internis humorum vitiis ut plurimum dependentia humani corporis actionibus officiant, atque adeo alibi in arte nostra doceantur, & de morbis cutaneis fise atque egregie scripserit MERCURIALIS, aliaque. De morbis ex intemptiva munditie meruit PLAZIUS *de juc. morb. caus.* *Diss. III.* Lipsi. 1746. & de morbis sexus fequioris ex nimio perverfoque pulchritudinis studio oriundis LANGGUTHIUS *Wittemb.* 1757. quosque IDEM *ibid.* allegat *p. 7.* qui de reliquis ad muliebrem mundum pertinentibus scripserunt, PLATNERUS & WINSLOVIUS *de Thoracibus*, BAIERUS, RIVINUS & ALBERTI de vestitu ejusque vitiis, LANGGUTHII *de coma calamistrata & pilo Dissertations*, WINSLOVIUS *de Cothurnis in Mem. de l'Acad. des Scienc.* 1740. aliaque. Minutias vero sciens lubensque mitto, nec cum LE BEGUE DE PRESLE *conserv. de Santé* §. 296. spleniola ista Cosmetica, quæ Gallis *Mouches* nomine veniunt, aliaque hujus farinae in censum vocabo, cum & qua ratione multum noxæ inferre queant, non perspiciam, & verendum mihi sit, ne severo nimis medico iudicio in talia animadvertendo, quæ permitti utcumque possunt, etiam in illis non audiar, quorum perniciosus revera effectus ab omnibus cordatis perspicitur, & quæ jure meritoque exulare jubentur.

F I N I S.

A D D E N D A.

Pag. 2. *Lin.* 26. *add.* eandemque adhuc consuetudinem hodie
apud Turcas obtinere BELLON. *Observ.* L. III. C. 35. refert.

Pag. 6. *Lin.* *antepen.* *add.* & BELLONIO, *Observ.* L. III. C. 34.

Pag. 9. *Lin.* 3. *add.* quanquam eorum usum adhuc esse tam
apud Turcas quam Europæos docet BELLONIUS *Obs.* L. II.
C. 43.


APPENDIX
The following is a list of the names of the persons who have been
appointed to the various offices of the State, from the year 1780
to the present time. The names are arranged in alphabetical order,
and the year of their appointment is given in parentheses.



Straßburg Med. Diss., 1. Ambrosi-
Beuche

X-241 8820





17

D. T. O. M. A.

EXERCITATIONEM MEDICAM
DE
COSMETICIS
EX AUCTORITATE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO
GRADU DOCTORIS
DIE XXV. SEPT. A. MDCCLXIV.
IN SOLENNEM DISQUISITIONEM
M E D I C I S
P R O P O N I T
PHILIPPUS HENRICUS BENDER
DECIA - NASSOICUS.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

